Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars III.

Wien, 1802 Seite 2161

Quelle:
Copyright:

Eruditos ſatis conſtat, IV. hos Libros non eſſe *Tullii*, ſed aut *Cornificii*, aut alterius cujusdam docti Praeceptoris. Initium: *Etſi in negotiis familiaribus impediti uix ſatis otium ſtudio ſuppeditare poſſumus* &c. Libri IV. finis: *ſi rationes conceptionis* (praeceptionis) *diligentia conſequemur exercitationis*. Lectio ſatis caſtigata interdum ab *Erneſtiana* tamen diſſentit. Ita ſub initium habet *quod datur otium* pro *otii*, *Gai* pro *C. Herenni*, *recte intellegenda* pro *recta intelligentia*, *gloria commoti* pro *commodi*, *ſed ſi te unum* pro *ſi te unum*, *Demonſtrativum eſt quod ponitur* pro *tribuitur*, *Deliberativum eſt in conſultatione quod habet in ſe* pro *Deliberativum eſt, quod in conſultatione poſitum habet in ſe*, *quibus quid locis* pro *quid quibus in locis* &c. Quorum ſaltem *το commoti* edito *commodi* praeferas.

XLII. *fol.* 136. *Incipiunt Capitula Geometrice Artis*. Viſum eſt ea huc adſcribere, ut de ipſius *Artis* ratione plenius cognoſci queat. I. *De geometrice artis meditatoribus quid et qualiter eam debeant diſcere*. II. *Quid ſit ipſa geometria et quę eius effectiua potentię*. III. *De diuiſione geometrię in quot partes diuidatur*. IV. *De utilitate geometrię*. V. *De ordine preſcriptionis geometrię*. VI. *De ratione propoſitionis*. VII. *De diſpoſitione geometrię*. VIII. *De deſcriptione ipſius*. IX. *De demonſtratione ſummitatum*. X. *De extremitatibus*. XI. *De principio menſurę*. XII. *De generibus menſurarum*. XIII. *De generibus angulorum*. XIV. *De ſpeciebus linearum*. XV. *De modis formarum*. XVI. *De peticionibus et conceptionibus quę ſunt in geometria*. XVII. *De proportione et proportionalitate*. XVIII. *De finibus et uariis menſuris*. XIX. *De agrorum qualitatibus*. XX. *De generibus limitum*. XXI. *Quomodo latinę littere ad demonſtrationem limitum aptandę ſint*. XXII. *De expoſitione limitum uel terminorum*. XXIII. *Quomodo litterę latinę ſiue grece terminorum rationem et locorum qualitatem deſignant*. XXIV. *De conditionibus et menſuris agrorum*. XXV. *De figurarum diuerſis et arearum menſuris in eisdem per argumenta comprehenſis*. XXVI. *De geometria columnarum et menſuris aliis*. XXVII. *De limitibus conſtituendis ſecundum rationem ſolis*. XXVIII. *De mundi magnitudine et circulis planetarum*. XXIX. *De quinque zonis celeſtibus et zodiaco circulo*. XXX. *De gnomonica inſtitutione et umbrarum diſcurſu*. XXXI. *Ambroſii macrobii theodoſii de menſura et magnitudine terrę et circuli per quem ſolis iter eſt*. XXXII. *Item eiusdem de menſure magnitudine ſolis*. XXXIII. *Felicis capellę de menſura lune*. XXXIV. *Eiusdem argumentum quomodo magnitudo terre deprehenſa eſt*. Vides, plura paene praeſtari, quam quidem edixit Rubrica. At vero cui haec debentur? Chriſtianum hominem fuiſſe haec C. 2. ſenſa palam faciunt: *Jovem ſium* (Philoſophi) *in operibus proprijs geometriare*

te-